

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

dic Iouis IV. Ianuarij.

M. PETRO BOVRDELOT, Abbate Maſſæenſi, Doctore, Sereniſſimę Reginę Sueciæ Medico primario, Moderatore.

An qui ſunt habitu raro ſint viuaciores?

I.

VITA, quæ eſt permanſio calidi in humido, triplex pro viuentium triplici genere conſtituitur: hæc ſunt planta, brutum, homo. Plantæ diuturna vita, hominis & bruti breuior: illius inſitus calor pené ſatis à ſe ipſo fouetur, horum perennis effluxus, quâ reſarciatur indiget materiâ. Vitæ breuitas, vel longitudo à conſtitutione caloris & humidi maximè pendent. Ea vitæ principia quo vberiora, eò fœliciùs & longiùs vita extenditur, potiſſimum ſi ſimul aëreum, glutinoſum, & purum ſit humidum natiuum:

326

ſecùs verò miſera viuentis ſors, ſi vitæ calamitas à breuitate æſtimetur. Quicquid autem in fabrica corporis occurrit, calorem præcipuum nouit opificem, à quo & peculiari ſubjecti diſpoſitione habet corpus, quò ſit rarum, & ad expellendas injurias quas internum diſſidium excitat, conuenientiſſimum.

II

DIVTVRNITATEM vitæ, quam omnes in votis habent, tuentur multa, plura deſtruunt: tuentur præcipuè ventilatio caloris & expulſio fuliginum, quæ ſi deſint, qui feruet ignis in ſiniſtro cordis ſpecu torreret omnia; ſed aër affluens aſſiduè (cujus beneficio nec ipſæ mulieres hyſtericæ deſtituuntur) refrigerat æſtuantem illum & fœlici diſcordiâ fouet: fuliginum expulſiò quanti momenti ſit, motùs cordis ſignificat & quæ per rarum totius corporis habitum fit perſpiratio; ſi non tam euidens, maximum tamen eſt ſanitatis ſubſidium. Si verò denſior ſit habitus, ambientis injurias faciliùs quidem ferunt, ſed internas vix poſſunt ſuſtinere.

III.

CALOR natiuus elementaris naturæ, ex ſemine aëreo & ſpumoſo inducit habitum rarum, in extima cute maximè conſpicuum, quæ rarior dum eſt denſiori præcellit, vt non modò tactu ſubtilior, ſed firmiorem conſtitutionem, cujus eſt indicium, ab omnibus præſtet injurijs ſecuriorem. Hæc mediam inter carnem nervumque naturam adepta, temperatiſſima eſt, per illius inſenſibiles meatus fit ea, quæ ſola pluribus ſufficit ad vitam animalibus, caloris ven-

tilatio (transpirationem vocant) quam plurimum iuuat jugis ille motus arteriarum. Per eosdem videbis fuliginem exeuntem, vt vaporem fumosum. Omnia in habitu raro manifesta, per patentes cutis poros facilis aditus aëri & egressus fuligini; ille calorem alendo, ista eundem repurgando diu retinent & conseruant.

IV.

LONGÆVITATEM fato concessam pluribus, laudabili principiorum sorte obfirmatam, morborum iniquitas fato superior sæpe præscindit: denegatam in ortu primo, fœlix ac diligens vitæ ratio nonnunquam prorogat. Hæc ab internis vel externis morborum causis impetitur, ita tamen, vt quibus negotium est foris, habeant domi quo sibi plaudant, hostemque vt admittunt facilè, sic minori negotio expellunt.

V.

DENSIOR habitus vitæ compendium est & ad interitum præceps; ab eo fere omnis morborum illuuies. Sanguis, si copia peccet, grauia infert detrimenta; vix noceret si difflaretur: putredo vitæ fundamenta quatit, transpirationis libertas irritum facit illius maleficium: caloris oppressio naturæ opera interturbat: vegetiora fient, si gementem sub pondere vnâ ventilatione leuaueris: diariam sine periculò medicina non jactitat, vbi vaporibus est præclusus aditus: alienos hostes reformidat natura, domesticos vix persentiscit, dum illorum impetus vel frangit, vel eludit patente publicâ viâ: calidi & hu-

midi fœliciores audiunt, non ab ingenio, quo cedunt melancholicis, ſed diuturnitate vitæ quam debent tranſpirationi: frigidi & ſicci ſeneſcunt ante ſenectutem; vix adoleſcunt, cum exiguus qui illis ineſt ſpiritus, non ſpirat. Homini nihil tam metuendum quàm à ſe ipſo; incauta viuendi ratio naturæ deſtruit dotes, habitum corporis mutat in contrarium & vltimam vitæ lineam facit, quæ vix media futura erat. Fœlicior illorum conditio qui habitum rarum quem contraxerunt ab ortu, tuentur diuque illius beneficio vitam producunt.

Ergo qui ſunt habitu raro ſunt viuaciores.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius Ioannes Morand.	*M. Ægidius le Bel.*	*M. Florimundus Langlois.*
M. Michaël Denyau.	*M. Abrahamus Theuart.*	*M. Franciſcus Pajot.*
M. Claudius de Frades.	*M. Nicolaus Lienard.*	*M. Tuſſanus Fontaine.*

Proponebat Lutetiæ GASPAR MAVRIN, Annotenſis, A. R. S. H. M. DC. LXIII.

PARISIIS,

Apud FRANCISCVM MVGVET, Typographum Regium, viâ Citharæ, ad inſigne trium Regum.

M. DC. LXIII.